

monte per Æmiliam in Mare Hadriaticum ap. Ravennam  
 sese exonerans, juxta quem Hispani Anno superioris seculi  
 12. die Paschatis, à Gallis, sub Ludov. XII. maximâ & juxta  
 non-nullas 18000. militum clade affecti, hoc nominis fue-  
 rit indeptus, ut sc. *Vitis* f. *Vtis* diceretur, *Montone* aliàs  
 aut *Rocone* dictus, haud adeò liquet. Quamquam ab ad-  
 nascentium vitium ubertate id hæsisse ipsi, sint qui existu-  
 ment. Uti nim. Italianam ἀπὸ τῶν ἰταλῶν à vitulis, quibus ab-  
 undat, unde & olim Vituliam dictam Gellius prodidit.  
 Quam tamen ab ipsis potius vitibus, quarum innumeras  
 illic provenire Virgilius l. 2. Georg. v. 103. seqq. asserit, sic  
 dictam Italorum non-nulli contendunt, qui Latium in-  
 de Oenotriam olim, ab Oenotrio Rege cognomine, hunc-  
 que ab οἰνω, vinum; sicut Janum, Latinorum itidem  
 Regem à ἴννιν vinum vocatum volunt. Quò de suo loco plu-  
 ra erunt commemoranda.

§. 5. Nunc ut in rem ipsam descendamus, quæren-  
 dum est primò de vitis ipsius ortu, quam à primæva crea-  
 tione excludere ausi nonnulli, dum Noam post diluvium  
 demum eam plantâsse ex *Gen. IX. 20.* didicerunt Eius verò  
 productionem quando homini tribuere, nisi impiè absur-  
 di non potuerunt, novam post Cataclysmum creationem  
 alii à DEO, alii ab ipso Satanâ factam, pejori absurditate  
 ac impietate confinxerunt. Atque hos inter primicerii  
 facilè sed & pessimi deprehenduntur, qui se *Encratitas* i. e.  
 continentés olim adpellabant, quòd per omnem  
 vitam à conjugio, carnibus, vino, cæterisq; omnibus, quæ  
 ansam vitiis aut libidinib; dare possent, plus quàm Naziræâ  
 severitate abstinebant. *Tatio* duce aut seductore potius orti,  
 qui Ignatii Martyris discipulus, cæterà non indoctus, sed  
 singularis cujusdam sanctitatis præsumptione, eò vesaniæ ab-  
 reptus